Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 453

Quelle:
Copyright:

bricius Cod. Apocryph. N. T. P. I. a *pag.* 1. edidit, nihil desideret amplius; ex his enim Narratio noſtra, tanta, quanta, conſarcinata eſt.

IV. *fol.* 83. p. 2. *Incipiunt Geſta Salvatoris Que invenit Theodoſius Imperator Magnus in Codicibus Publicis.* In aliis *Codd.* inſcribuntur *Evangelium Nicodemi* aut *Acta Pilati*, extantque apud mox *cit. Fabricium* a *pag.* 238. Initium nobis eſt hujusmodi: *Factum eſt in anno X° VIIII° Imperatoris tyberii Ceſaris imperatoris romanorum et herodis filii herodis. imperatoris galilee. anno. X° VIIII° principatus eius. VIII. Kal apr. quod eſt. XXI. die menſis martii. conſulatu rufini et rubellionis in anno. CC°. IIII° olympiadis. ſub principatu ſacerdotum iudeorum Joſeph et cayphe. poſt crucem et paſſionem domini biſtoriatus eſt. Nichodemus acta a principibus ſacerdotum et reliquis iudeis mandauit litteris hebraicis.* Initium iſtud tam T. I. *Orthodoxograph.* p. 643. quam apud *Fabric. cit.* legitur ad calcem Narrationis, ibique pro *conſulatu rufini et rubellionis* manifeſta corruptione habetur *Conſultatoriæ Revelationis.* Cadit vero Conſulatus *L. Rubellii Gem.* et *C. Rufii Gem.* in priorem partem *A. Chr.* 29. unde ſi etiam *Tiberii* imperium ab a. 12. quo eum Collegam adſumſit *Auguſtus*, computes, non tamen annos XIX. ſed XVIII. conficies. Sed enim in re undequaque ſubleſtae fidei ſupervacaneum eſt calculis agere. Narratio ipſa incipit: *Annas et Caiphas. et Somne* (al. Summas) *et datham Gamaliel. Judas. Leui. Neptali* &c. et in *Cod.* his verbis abrumpitur: *et mulieres que ſecute eum erant a galilea in iudeam.* Ad eruditiſſimas *Fabricii* de ea curas id addo, extare tam in *Bibliotheca Aug.* quam in aliis mihi notis admodum vetuſtam ejus Editionem *ſ. l.* et *a. ſ. min.* inſcriptam: *Nycodemi Euangelium ſiue Hiſtoria de geſtis a principibus Sacerdotum de paſſione et reſurrectione domini. que inventa eſt litteris hebraicis a Theodoſio Magno Imperatore in iheruſalem in pretorio pontii pilati in codicibus publicis.*

V. *fol.* 89. *Incipit de aſſumptione Sanctę Marię.* Hoc tenore: *Miletus* (Melito) *Servus chriſti Epiſcopus Eccleſie ſardinienſis* (Sardenſis in Lydia) *uenerabilibus in domino fratribus laodicia conſtitutis in pace chriſti ſalutem. Sepe ſcripſiſſe me memini de quodam leucio qui nobiſcum cum apoſtolis conuerſatus alieno ſenſu et animo temerario diſcedens a uia iuſticie plurima de apoſtolorum actibus libris ſuis inſeruit* &c. *Melitonis Aſiani Sardium* Ep. Scripta enumerat *Hieronymus de Vir. illuſtr.* c. 24. omiſſo praeſenti, quod jam *Gelaſius* I. an. 496. in Concilio *Rom.* et Sec. VIII. *Beda Retract. in Act. Apoſt.* c. 7. ἀποκρυφον declaravit, id, quod etiam in *Scriptt. Eccl.* c. 14. adnotat *Trithemius.* Hoc tamen non obſtante *Bibliothecas PP.* invaſit, legiturque in Edit. *Lugdun.* T. II.